

taxat non deficiat, voluntas benefaciendi.

DOMINICA DECIMA
quarta. Sermo. I. in ordi-
-dine. LXXVI.

ITE ostendite vos sacerdotibus! Luc. 17.

Catholica doctrina est legem veterem precessisse euangelii gratiam, & facta in eadem tanquam vmbra lucem. Hebr. 10. Lex vmbra habet futurorum bonorum, tanquam figura veritatem 1. Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt propter, vel ad correptionem nostram tanquam media ad finem. Roma. 10. Finis enim legis magis ad iustitiã omni credenti tanquam dispositio ad formam. Ioan. 1. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Sapientia enim diuina volens lapsum hominem erigere, errantem reducere, perditum saluare, omnia egit fortiter, & suaviter disposuit, vt nouit congruere homini reparando. Cum ergo per fidem mediatoris saluari oportet, secundum illud, qui non credit iam iudicatus est Ioan. 3. Credenda autem acumen nostræ intelligentiæ naturalis excedunt, propter quod cum difficultate intellectus eis assentit, ideo credendorum figuras obumbratas, in factis, & in verbis prærogauit, quatenus per hæc intellectus suaviter aduiesceret, & manuduceretur ad fidem firmam mirabilium operum Dei, suam facultatem excellentem. Eadem ratione medicinalia nouæ legis sacramenta, per quæ Christi passio in nobis supra naturam rerum ipsarum sacramentalium salutem mirabiliter operatur, quæ nedum credere, sed eis etiam vt oportet, non solum veniens in carne instituit, sed prædici, & præfigurari, voluit, & ea manifestius, quorum fides difficilior, & vsus necessarius magis erat, vt Eucharia, baptismus, poenitentia. Nam & ipse dominus in carne veritatem docu-

rusante sacramentorum institutionem etiam factis ea præfigurando, præuenit in baptismate Ioan. (a quo & ipse baptizari voluit) baptismi suum. In eucharistia agni eucharistiam. Haud aliter sacramentum poenitentia iustificandis post baptismum necessarium, quod in veteri testamento per confessionem summi sacerdotis, positus manibus super hircum emissarium Leui. decimo. sexto. & præceptum de leprosis sacerdotibus offerendis leui. decimo quarto, figuratum est. Dominus ipse priusquam instituit, factis præfigurauit, dum resuscitatum à morte Lazatum, discipulis soluendum commisit, & mundatis per eum leprosis, ad sacerdotum misit iudicium dicit. Itæ ostendite vos sacerdotibus. Pro gratia Aue ma.

In euangelica lectione præter hoc, Ingratitudo ad fidem diuinitatis in Christo per miraculi exhibitionem instrumur, vitium in atque ad vocalem peccatorum nostrorum confessionem euangelico sacerdoti faciendam, quamuis quandoque per solam contritionem etiam ante vocalem confessionem peccata à domino dimittantur, erudimur, ingratitude in nouem sanatis leprosis damnat, & in eo qui gratus fuit, munera vltiora cum lauit. Siquidem nihil ita disponit nos ad recipienda vltiora beneficia, sicut gratitudo. Similiter Cassio. super illud psal. misericordia tua ante oculos meos est, dicit. Iugiter sibi subueniri facit, cui collatum beneficium semper ante oculos existit, meliora etenim meretur accipere, qui collatum sibi beneficium probatur de corde non amittere. Et Bern. Nihil augeat ingrato, sed quod acceperat, vertitur ei in perniciem, fidelis autem in modico, cenletur dignus munere ampliore. Et August. in soloiquis Scio inquit, quia ingratitude displicet tibi, quæ radix est totius mali spiritusualis, & ventus quidam desiccans, & vrës omne bonum, obleruans fontem diuinę misericordie super hominem, quia etiã & mala mortua iam oriuntur, & viuã opera moriuntur, & vltra bona nõ adipiscuntur. & Bernard. ait, Pro meo

Sacra p
Christu
instituen
dã figuris
& signis
sunt præ
dicta.